ORATIO
DE SANCTISSIMO HISPALENSI
ARCHIEPISCOPO

DIVO ISIDORO

INCLYTO DOCTORE,
AC HISPANIARUM PRIMATE,
RECITATA
CORAM ILLUSTRISSIMO,
CLARISSIMOQUE
SANCTÆ METROPOLITANÆ,
AC PATRIARCHALIS ECCLESIÆ
PRÆLAUDATÆ
CIVITATIS HISPALIS CAPITULO
IN EIDEM BEATISSIMO PRÆSULI
SACRO COLLEGIO
AB EJUS COLLEGA

D. JOSEPHO ILLANA,
ET RAMIREZ,

PRIDIE NONAS APRILES
Anni MDCCLXXIX.

D. D. JOSEPHO DE SIERRA ET SALZEDO, Collegij Majoris S. Crucis Vallisoletani, Pontificij ac Civilis Juris peritissimo, Collegæ, et in vtraque Facultate Baccalaureo; Sanctæ Zamorensis Ecclesiæ Canonico, totiusque ejus Diœcesis Vicario Generali: Dignitate Prioris in Sancta Vallisoletana Ecclesia maximá laude functo, ipsius Diœceseos Apostolico Subdelegato Judici Tribunalis Sanctæ Cruciatæ, et Subsidiarij Tributi; ejusdem Vallisoleti Civitatis Academiæ Geographico-Historicæ vulgò *de Caballeros* eruditissimo Academico, atque in præsentiarum Sanctæ Metropolitanæ, et Patriarchalis Hispalensis Ecclesiæ Canonico,

HANC PRÆSTANTISSIMI DOCTORIS, ET PERILLUSTRIS PRÆSULIS ISIDORI ORATIONEM SUBMISSA PIETATE DICANT

Devotissimi ejus Clientes

Emmanuel Eguiguren, et Escobar.　　*Didacus Ayllon, et Sacedon.*

Joannes Vincentius de Salazar.

ET HOC MODULANTUR

EPIGRAMMA.

Hæc jubet esse sacram tibi se Laudatio fulges,
　Qui Pindi, et sacri gloria magna chori.
Nunc ipsi liceat tantæ sub tegmine Lauri
　Vivere, et in longos continuare dies,
Nosque tuo auxilio non dedignare Clientes;
　Et placeant oculis munera nostra tuis.

ORATIO.

SI quantum in meditandis, quæ dicendæ sunt, rebus cogitatio potest (Illustrissime hujus Sanctæ Metropolitanæ, ac Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis Senatus, ob præclaram meritorum copiam, ad hominum memoriam sempiternam commendatissime. Spectabilis literarum, morûmque præstantiorum studijs generosa juventus. Cæteraque omnium adstantium Ordinum clarissima concio.) Si quantum in meditandis, quæ dicendæ sunt, rebus cogitatio potest, tantum in ijs expoliendis valeret ingenium, et exornandis, sperarem futurum, vt si non digna tanto, quantum hodierno die mihi impositum est, argumento, dicturus enim aggredior de Sanctissimo Principe hujus florentissimi Collegij tutelari numine ISIDORO, digna hujus sanctitate loci, digna hoc totius, qua latè patet, Orbis celeberrimo, literis, virtutibus, et rerum gerendarum peritia præstantissimo, paritèr ac Illustrissimo Capitulo, saltem non injucunda vobis, et inficeta, mihi contingeret Oratio. Quis enim quantumvis ingenij alacritate præstans, de Sanctissimo Isidoro verba facere pro dignitate conaturus, non statim omnes eloquentiæ fontes quamvìs in ejus audaciam opportunè fæcundos ad malè sibi provisam existimationis jacturam exiles redundantes sentiret, ac debiles? Quapropter non est mihi hodie de Orationis initio, sed de exitu laborandum: perturbant enim me ipsa dicendorum copia, ipse hic frequentissimus, Sacerque Senatus, Orationis meæ testis futurus, ac Judex, ipsum deniquè propositum,

de quo nil novum, nil non auditum, nil ignotum in medium afferre potero, vt in ipso exultabundum se exercere posset ingenium. Sed hæc vestra ipsorum (Auditores) alacritas, et studium, hæc incredibilis, ac planè singularis benignitas, qua omnes ex hoc amplissimo suggestu dicentes prosequimini, hunc mihi metum minuunt, et penè me suscitant exanimatum. Recreat etiam me Sancti nostri Doctoris Isidori subsidium, quod spero mihi fore in ejus gratiam suprà vires laboranti præsentissimum. Sed antequàm ad ipsius commendationes tendamus, vos (spectatissimi Auditores) vellem admonitos me non omnes Isidori laudes sigillatim intendere percensendas, sed ex earum innumerabili copia quasdam tumultuariè seligere, et has, quoquomodo exequi possim, explicare: nequè vt vltrà sibi constitutum tempus nostra serpens provehatur Oratio commissurum. Quod si longissimè respicientes hujus Hispalensis Diœceseos castissimam Religionis observantiam, cultumque sacrorum puriorem contuemur, non sinè divino quodam nutu, atque consilio factum invenimus, vt eo tempore, quo pestilens Arianorum, plerorumque ejusdem furfuris hominum doctrina per totas ferè grassabarur Hispanias, ita vigilantissimis Pastoribus, sapientissimisqne Præsulibus doctrinæ ac morum emendationem revocaturis ea felicissimè floreret. Sanctissimus in his Isidorus, quem Pontificalibus Hispalensis Ecclesiæ Infulis natum, omnes, quotquot ipsius adolescentiæ faustissima portendentis auguria, sint certiores, fatebuntur, eminuit. Primum igitur, si sui splendorem, et claritatem generis rot fumosis avorum imaginibus insignis ad commendationem pertinere volumus, quæ gens in Hispania ipsi antiquitate, et rerum gestarum gloriâ poterit anteferri? Sed in his non immorabor, cum, et ipsi ejus Gentiles à proprijs optimè gestis Isidori rebus laudem sunt amplissimam promeriti. In maximis ergò opibus, in summis clientelis educatus

nanciscitur Præceptorem vitâ sanctum, scientiâ longè clarissimum fratrem suum Hispalensem Arcniepiscopum Leandrum: sub cujus disciplina ingenuus juvenis Isidorus incensus, et inflammatus amore doctrinæ, omnibus sibi alijs voluptatibus interdixit, cibo, potu, somno prudentissimè abstinuit, omne sibi tempus perire ratus, quod non in literarum studio poneretur. Artibus ergò, quæ ab humanitate nomen accipiunt, atque illis, quibus ad cognitionem summi, quod omnia moderatur, Numinis erudimur, instructus, tantam, ac tam incredibilem humanæ, ac divinæ Philosophiæ, sacrorumque Canonûm sibi eruditionem comparavit, vt vir profectò in Repùblica Literaria summus evadens, perversas Hæreticorum pestilentissima in dies dogmata comminiscentium opiniones vsquequaque insectaretur. Cum autem prudentissimus ejus Præceptor Leander animadvertisset, quo in discrimine periculosissimis illis temporibus cuncta forent, verens ne Isidoro in aliqua illarum, quas frequentèr habebat disputatione cum ipsis, insidiarentur Hæretici, futurum sperans, ut procedente tempore magnos ab insolenti illorum audacia deportatet triumphos, author illi fuit, ut ab ejusmodi concertationibus desisteret. Dicto sibi charissimi fratris audiens omninò cum esset Isidorus, nil sibi prius, et antiquius habendum constituit, quàm omnibus literarum, et virtutum ornamentis imbuere mentem, et in omnibus vitæ suæ factis se verum Christi sectatorem, sanctorumque Dogmatum præbere propugnatorem acerrimum. Quam latissimum, Auditores, dicendi campum nobis ingrediendum esset, si humilitatem, si patientiam, si fortitudinem, si constantiam, si charitatem, si cæteras deniquè, quibus effloruit Isidorus, amplissimas virtutes, sigillatim exornare constituissemus! Sed hæc vestra audiendi patientia, et humanitas cum tenere modum jubet Orationem meam, vt nullomodo vos sedendo fessi, nosque dicendo fa-

tigati dimittamur. Quarè jam Isidorum Pontificalibus Ecclesiæ Hispalensis Infulis exornatum, Dignitatisque munia Pastoralis adimplentem, vestræ exponam expectationi contemplandum. Hunc perfectissimæ suæ laudationis ingressum, et prædicationis januam præbuit Hispalis, cujus florentissimum Religionis statum Isidorus auxit, auctum firmavit, firmatum custodivit. Omni igitur Clero, et Hispalensi populo volentibus inauguratus Præsul, totus pro viribus incubuit ad debellandos pestilentissimos Ecclesiæ hostes, doctrinâ, exemplo, et scriptis, quæ plurima reliquit, luculentissimis. Nec sinè cælestibus auspicijs omnia sibi ex sententia successerunt: quia ille rerum arbiter, et fandi, atque nefandi discriminator Deus, tanto pietatem suam præsidio texit, tantisque viribus juvit, quantas ipse præstare voluit, et quantæ erant Isidoro suffecturæ, vt nefariam Acephalorum frangeret amentiam, vt captiosas Arianotum cavillationes confunderet, elideret, enervaret. Jure igitur egregius Hispaniarum Doctor summis prædicationibus Isidorus acclamatur, quippe qui, et candorem adhibuit suis scriptis, non in festivitatibus, veneribusque leporum luxuriantem, sed in ordine rerum, in serie, in varietate, et continuitate Propositorum elucentem, et cujus Prædicatio tota popularis fuit non ad ostentationem ingenij affectata, sed ad vtilitatem eorum, qui audirent, composita. Idcirco omnes mortales insrituere, sanctissima præbere consilia, pietatem commendare, sartam, tectamque Christi fidem custodire, ad castissimam Religionis observantiam incendere: prætereà contemptis sordibus humanis, cupiditatibus eliminatis, libidine omni, scelere, flagitio repulsis, ad sempiternam felicitatem evocare, illis, ad quas commissum sibi gregem frequentissimè cogebat, concionibus, impensè laboràvit. His, alijsque quamplurimis Isidori perspectis dotibus ad exemplum Prædecessorum suorum Romanorum Pon-

tificum Simplicij, qui Zenonem, Hormisdæ, qui Salustium, Pelagij primi, qui Leandrum Archiepiscopos Hispalenses omnes dixerunt Primates, seu summos Hispaniarum Antistites, summum Antistitem Hispaniarum nomine Magnus, vitâ Sanctissimus, doctrinâ maximus Gregorius designavit Isidorum. Quapropter Sacris Concilij Toletani Quarti, cui Isidorus præfuit, institutionibus, et Actis primus omnium quorquot aderant, aderant enim septuaginta Episcopi, in his Narbonensis, Emeritensis, Toletanus, Bracarensis, et Tarraconensis Metropolitani, subscripsit. In quo Concilio, non alitèr ac in Hispalensi, quod ipse coegit Secundo, et in quo Acephalorum fuit Hæresis damnata, ob salubetrimas ad fidem Orthodoxam, ad Disciplinam Ecclesiasticam, ad morûm reformationem spectantes Sanctiones memorabili, totum, quantus erat, se prodidit, comparavitque ampliorem sibi gloriam apud illos Sanctissimorum Patrum Consessus frequentissimos. Jam igitur (ornatissimi Auditores) quoniam de suo exitu nostra laborat Oratio, non equidem quia dicendi finem, aut modum invenit, sed quia hac tanta vestra audiendi patientia videtur abuti, nos ad Isidorum omninò convertamus; quippè ille jam in Ecclesiam ad Populum verba facturus novissima, laboribus, et Pontificia Dignitate ad quadraginta annos fidelitèr administrata pervictus, accedit: gregem sibi creditum ab Optimo Pastore Christo oratione collaudat, ad publicam omnium vtilitatem, et singulorum commodum, ad defensionem, et propugnationem Religionis, ad bonis moribus, sanctissimisque factis vitam hanc, in qua sumus instituendam, et ad illam alteram, ad quam tendimus, aperiendam, composita. Se projicit humi, genua flectit, manus ad Cœlum tollit, benedicit omnes, et spiritum tot præclaris operibus fatigatum vitæ Datori, et Conservatori Deo placidissimè reddit. Habetis ergò (ornatissimi Auditores) Isidorum, non quidem quantus ille fuit, sed quantum exilis nostri ingenij tenuitas eum no-

bis ostendere potuit. In cujus laudibus si parùm concinna, et nil suis rèspondente meritis vsus Oratione videbor, quæso vos, et obtestor, vt meæ id naruræ potiùs, quàm magnitudini laudûm suarum esse putetis tribuendum. Habemus aurem omnes Doctorem ornatissimum, vigilantissimumque Præsulem apud summum omnium Rectorem Deum Deprecatorem Isidorum. Fieri enim non potest, quin ille, qui dùm vitam egit, Hispalensibus suis, quorum saluti, ac commodo se totum consecravit, quam optimè consuluit, consulat et nobis hodierno die sacro ferijs atque solemnibus suis præsentissimum ejus subsidium ambientibus. Ipsum ergò nostris intueamur mentibus, ipsius rectè factorum quandam velut imaginem exprimere conemur. Quia nil tibi (Sanctissime Doctor Isidore) nil tibi gratius, nil jucundius esse poterit, quàm tuæ vitæ sectatores videre quam plurimos. Præcare æternum, cujus ineffabili aspectu frueris, Numen, vt Illustrissimum hunc præstantissimorum virorum, virtute, humanitate, religione, multarumque terum cognitione spectatum consessum in Orthodoxæ Fidei custodia, in Ecclesiæ instituta, ac mores sanctos custodiendi diligentia, in ipsi Omnium Conditori Deo debitum cultum præstandi gravitate, quibus accuratissimè efflorescit, magis in dies ac magis efflorescere permittat. Ut potentissimum Hispaniarum Regem Carolum, Dominum nosttum indulgentissimum, tutissimumque Catholicæ Fidei munimentum, vitâ, salute, incolumitate diutissimè gaudere patiatur. Ut Excellentissimum Indiarum Patriarcham, hujusque nostræ Diœceseos Archiepiscopum, et ornamentum maximum superstitem esse jubeat. Ut hoc lectissimorum Juvenûm Collegium tuo protectum numine, et insignitum nomine virtutibus, literis, sanctissimisque moribus amplexandis incumbere concedat. Ut deniquè velit cunctas vitæ nostræ rationes ad majorem sui nominis gloriam, ad Ecclesiæ defensionem, ad ornamentum Hispalis, componi, dirigi, produci. D I X I.